

2000 TSJCL Sight Recitation
Level III

Ego vōs hortor ut amīcitiam omnibus rēbus hūmānīs antepōnātis. Sentiō equidem, exceptā sapientiā, nihil melius hominī ā deīs immortālibus datum esse. Dīvitiās aliī antepōnunt; aliī, salūtem; aliī, potestātem; aliī, honōrēs; multī, etiam voluptātēs. Illa autem incerta sunt, posita nōn tam in cōnsiliīs nostrīs quam in fortūnae vicissitudinibus. Quī autem in virtūte summum bonum pōnunt, bene illī quidem faciunt; sed ex ipsā virtūte amīcitia nāscitur nec sine virtūte amīcitia esse potest.

Dēnique cēterae rēs, quae petuntur, opportūnae sunt rēbus singulīs; dīvitiae, ut eīs ūtāris; honōrēs, ut laudēris; salūs, ut dolōre careās et rēbus corporis ūtāris. Amīcitia rēs plūrimās continet; nūllō locō exclūditur; numquam intempestīva, numquam molesta est. Itaque nōn aquā, nōn igne in locīs plūribus ūtimur quam amīcitiā; nam amīcitia secundās rēs clāriōrēs facit et adversās rēs leviōrēs.

Quis est quī velit in omnium rērum abundantīā ita vīvere ut neque dīligat quemquam neque ipse ab ūllō dīligātur? Haec enim est tyrannōrum vīta, in quā nūlla fidēs, nūlla cāritās, nulla benevolentia potest esse; omnia semper metuuntur, nūllus locus est amīcitiae. Quis enim aut eum dīligat quem metuat aut eum ā quō sē metuī putet? Multī autem sī cecidērunt, ut saepe fit, tum intellegunt quam inopēs amīcōrum fuerint. Quid vērō stultius quam cētera parāre quae parantur pecūniā sed amīcōs nōn parāre, optimam et pulcherrimam quasi supellectilem vītae?